TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE DYSPEPSIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti,

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES MAHARG,

HIBERNUS,

Soc. Med. Hibern. Edin. Soc. Extraord.

Et Praeses Annuus.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

——Ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quaerere verum. HORAT.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GULIELMI CREECH.

M DCC XCIII.

ERRATA.

Pag. 11. l. 5. *pro* ingenuosus *lege* ingeniosus.
16. - 4. — singulus *lege* singulis.
18. - 16. — plantem *lege* plantam.
23. - 15. — valuit *lege* voluit.
27. - 11. — materiae *lege* materia.
36. - 8. — *beaf* lege *beef.*
37. - 22. — sent *lege* sentent.
38. - 10. — raparation *lege* reparation,
39. - 9. — gastrice *lege* gastric.

VIRO OPTIMO, ERUDITO,

ANTONIO FERGUSON, Armigero,

Apud DUBLINIUM,

Praeſtantiâ cordis,

Et amicâ in *omnes* benevolentiâ,

Amorem *omnium* concilianti;

Omnibus virtutibus,

Quae homini veram dignitatem

Afferre queant,

Gaudenti;

Propter conſilia ſaluberrima,

Maximaque in me collata beneficia;

Quae,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus,

Nunquam memoria mea excident:

Necnon

REVERENDO ADMODUM VIRO,

ALEXANDRO MERCER, D. D.

Apud CRUMLIN,

In Comitatu Dublinienſi;

Animo probo, honeſto, benevolo,

Virtute omnigenâ,

Bonarumque literarum cognitione,

Praedito;

Ob plurima amicitiae haud mediocris documenta,

A ſe, ſuiſque mihi delata,

Quorum memoria

Semper alta mente repoſita manebit:

Denique

REVERENDO VIRO,

JACOBO HULL,

Apud BANGOR,

In Comitatu Dunensi;

Benignitate, Pietate, Humanitate,

Omnibusque ingenii felicis dotibus,

Insigni;

Mihi per varios casus constanter amico,

Et amore verè paterno me semper foventi;

Has studiorum in Medicina primitias,

Ut testimonium, eheu! quam leve!

Animi haudquaquam ingrati,

Summa observantia,

D. D. C.que

JOANNES MAHARG.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DYSPEPSIA.

AUCTORE JOANNE MAHARG.

MORBUS hic, aeque ſtudioſo ſcientiae omnigenae avaro, et virgini pulcherrimae dolenti, comes injucundus, attentionem meam invocat.

Quandoquidem omnes corporis humani partes continuo, rebus actioni ventriculi expoſitis, mutantur et nutriuntur, hujus organi vitium caeteris fabricae partibus multum injuriae laturum eſſe patebit.

Caufam proximam hujus morbi melius notam reddere, et methodum medendi magis certam, efficacioremque inftituere, pauca de concoctione alimentorum praefari forfitan oportet. Quanquam enim tam multa experimenta ingeniofa et conjecturae in medium prolata fuerint, fcientia noftra, quod ad concoctionem attinet, adhuc imperfecta eft.

Sed rem ad plenum perfcrutari, hujus tractatus limites haud finent, et praeterea opus perdifficile foret.

Forfitan, diverfis animalibus diverfis modis perficitur; in homine vero de quo hìc agitur, nobis, omnibus ritè perpenfis, verifimile videtur cibum, mafticatione, miftura cum faliva, et aliquo fermentationis (fui generis fortaffe), praeeuntibus, facilius a fucco gaftrico, caufa concoctionis efficiente, pervadi.

DEFINITIO MORBI.

" Anorexia, naufea, vomitus, inflatio, ructus,
" ruminatio, cardialgia, gaftrodynia, pauciora fal-
" tem

" tem vel plura horum ſimul concurrentia, ple-
" rumque cum alvo adſtricta, et ſine alio, vel ven-
" triculi ipſius, vel aliarum partium, morbo *."

HISTORIA.

Praeter conſenſum univerſum totum corpus pervadentem, inſignis eſt ſympathia tubum alimentarium inter et diverſas alias corporis partes, ita ut alterâ parte malè ſe habente altera affectionem participet, praeſertim ſi jam debilitata fuerit. " Conſenſus quidam inſoliti, morboſi, oriri videntur a parte jam praeter ſolitum ſentiente, et mobili, et debili, ideoque ab aliarum partium ſtatu, vitiis, irritamentis, plus aequo patiente. Haec videtur eſſe ratio, cur multi morbi a cauſa generali provenientes, in partes jam debiles aut morbidas facilius incumbant †." Exempli gratia, nauſea et vomitus ſaepe a cephalalgia; concuſſione

* Cullen. Synop. Noſol. Method. gen. XLV.

† Greg. Conſp. Med. Theor. § 367.

concuſſione aut cerebri contuſione; renum, hepatis, ductus biliarii, uteri, pedum, &c. affectionibus; aut a diverſis ſaporibus, odoribus, et mentis affectionibus, oriuntur:—Contra, ex ventriculi affectione cephalalgia, oculorum hebetudo, vertigo, odontalgia, dyſpnoea, tuſſis, &c. enaſcuntur.

Hinc intelligamus qua ratione cephalalgia aliquando medicamentis vomitoriis, abſorbentibus, amaris optimè amoveatur; vel quomodo fit ut manuum, ad quoddam tempus, tremor ceſſet, poculo alicujus liquoris fortis ſumpto;—hinc appetitum cibi excitat exhalatio per cutem libera;—hinc veſicatoria, cucurbitulae ſine ferro, rubefacientia, aut cataplaſmata aromatica vomitionem reprimunt;—hinc denique frigus extremitatibus inferioribus ſubitò applicatum diarrhoeam inducat.

Perdifficile erit, propter irregularem ſymptomatum progreſſum in morbo tam multifario, exactam dare hiſtoriam. Tamen ſymptomatum praecipua ſunt ſequentia.

Senſus plenitudinis aut ponderis circa ventriculum, cum praecordiorum dolore obtuſo vel gra-

vante;

vante; anorexia, nausea, vomitus, eructationes plerumque acidae, interdum vero rancidae, putridae, aut amarae; ventris tormina et borborygmi, ferè post flatus expulsionem sursum aut deorsum quiescentia, cito vero revertentia; gastrodynia, anxietas magna, dyspnoea, et, sumpto cibo, palpitatio cordis. Aliquando expuitio crebra materiei tenacis, spissae adest; interdum lingua sorde albida aut subflava obducitur, cum siti matutina. Quinetiam tussis molesta saepe aegrotum lacessit.

Sunt qui, una vel altera hora post cibum, ingesta ad os usque rejecta iterum manducant, iterumque instar bovum aut caprorum ingurgitant.

Aliquando solida laxa et flaccida fiunt, labiis color aufugit, corporis habitus fit pallidus, tumidus, nonnunquam tabidus: Haec vero symptomata rarius apparent eo gradu quo, cuinam reputanti quam magni sit momenti organum morbo laborans, suspicatum esset. Vires labescunt, sensus lassitudinis oritur, et aeger omnem motum, praesertim post cibum assumptum, aversatur. Cephalalgia et vertigo plerumque occurrunt, quae

saepe

ſaepe tam graves ſunt, ut aeger ebrioſi inſtar vacillet; nonnunquam tinnitus aurium, muſcae volitantes, aut bractearum ſpecies oculis apparentes. Animus irritabilis evadit, levibus a cauſis facile dejectus. Diarrhoea aliquando comitatur, ſaepius verò alvi durities adeſt. Ictus arteriarum aliquando tardi, ſed pleriſque in caſibus frequentes ac debiles ſunt. Exhalatio cuticularis imminuitur, cutem ſiccam relinquens, et aegrotus de ſenſu frigoris praeſertim extremorum conqueritur. Anima fit foetida, luminaque hebeſcunt, et vigiliae vel horrifica ſomnia vires aegroti exhauriunt. Nonnunquam, propter irritabilitatem magnam in canali alimentario, ingeſta cruda et parum mutata excernuntur. Nonnunquam demum Hydrops generalis vel cachexia ſuperveniunt, et aeger *migrat ad plures.*

DIAGNOSIS.

Ut hicce morbus ſaepiſſimè ſymptomaticus eſt, a ſchirro pylori, ulceribus ventriculi, veneno, fellis redundantia, vermibus inteſtinorum, dentitione,

ne, calculo renali, et abdominalium viſcerum diverſis aliis affectionibus, quales hepatis, renum, pancreatis, &c. exoriens;—aut cum Hypochondriaſi, Chloroſi, et Podagra atonica conjunctus, ſumma diligentiâ opus erit diſtinctionem facere morbum idiopathicum inter et ſymptomaticum. Poſteriore enim in caſu remedia exhiberi deberent ad primariam affectionem (cum penes nos ſit) vel amovendam vel mitiorem reddendam.

Mihi perſuaſum habeo multum, quod ad hoc attinet, depromi poſſe è *Synopſi Noſol. Method. celeb.* CULLENI.

Speciebus vel varietatibus viginti quatuor Dyſpepſiae idiopathicae, in hoc opere enumeratis, diligenter examinatis, et cum iis in *Noſologia Method. illuſtr.* SAUVAGESII deſcriptis, comparatis, prorſus exiſtimo methodum medendi generalem, nullo ferè diſcrimine, omnibus accommodari poſſe. E contrario, in ſpeciebus aut varietatibus ſeptuaginta affectionis ſymptomaticae, praxis noſtra, ſecundum diverſitatem morborum unde originem ducunt, ordinetur, oportet.

Morbi, qui praecipue Dyſpepiae ſpeciem prae

ſe

ſe ferunt, ſunt Hypochondriaſis, Chloroſis, Podagra atonica, et Schirrus Pylori: Pauca igitur de ſingulis proferre placet.

Adhuc ſub judice lis eſt an Hypochondriaſis et Dyſpepſia, tam diu ab auctoribus ut idem morbus deſcriptae, genere ſanè diſſimiles ſint: Utcunque verò res ſe habet, quoniam methodus medendi in utroque fere eadem ſit, parum periclitatur quanquam confundi eſſent. Hìc tamen conabor ſigna enumerare, quibus ii morbi a Dyſpepſia praecipue diſtingui poſſint.

1. *Dyſpepſia* homines temperamento ſanguineo praeditos plerumque aggreditur, et ſaepe prima aetate; haud raró aetate provecta mitior evaſura. *Hypochondriaſis*, contrà, eos temperamenti melancholici obſidet, ineunte vita minus ſaepe apparens, labentibus vero annis gradatim ingraveſcens. Hoc bene illuſtrare videntur mutationes animi quae in vitae decurſu obſervantur. Adoleſcentis animus hilaris, promptus, inconſultus, mobilis, deferveſcente adoleſcentia gravior, cautior, immobilior fit, uſque demum ad ſenectutem cum animus gravis, triſtis, ſuſpicax, pertinax, meditabundus temperamenti

temperamenti melancholici ad amuſſim formetur; et hoc tam ex temperamento quam ex cauſis moralibus pendere videtur. Temperamenta verò minus fiduciae merentur quam animi affectus, qui in dyſpepſia ſaepe abeſt, et cum praeſens ſit, ſemper forſan levior, frequentius cum languore et timore tantum comitatus, et facile dimovendus. At in hypochondriaſi ſigna dyſpeptica haud rarò abſunt, aut ſaltem in leniore gradu adſunt, dum mentis affectio conſtantior eſt, et plerumque moroſa, infixa apprehenſio mali; in animum impreſſiones difficilius factae ſunt, ſed cum ſemel ſignatae aegrius delendae.

2. Appetitus praeternaturalis, deſideriumve rei non eſculentae, cutis pallor vel decoloratio; corporis tumor mollis ab initio morbi, et menſtruorum retentio, *Chloroſin* a *Dyſpepſia* plerumque ſatis diſcernent.

3. In *Podagra Atonica* ſymptomata magis improviſè et majore vi aggrediuntur: In judicio faciendo dirigi debemus ab aegro hocce morbo pridem affecto, et praeſertim labe haereditaria.

4. In *Schirro Pylori* eſt dolor conſtans, fixus,

cum caloris ſenſu circa pylori regionem. Concoctio magis impedita, vomitio citius poſt cibum ſupervenit, alvus aſtrictior, et acor ventriculi major. Atque porrò dolor, preſſo ſcrobiculo cordis, pleriſque in caſibus ſentitur;—aliquando, in corporibus macris, tumor.

CAUSA PROXIMA.

CONJECTURAE variae de hac fuerunt prolatae. Quidam morbum muci redundantiae, alii fellis attribuerunt; ſed, re accuratè perſpecta, haec *ſymptomata* ſolummodo videntur eſſe vel hujus vel alicujus alius morbi: Ideoque, opiniones tres tantùm notare decrevi, utpote attentionem noſtram praecipue merentes; ſcilicet,

1. Imbecillitatem aut atoniam in fibris muſcularibus ventriculi;

2. Succum gaſtricum quantitate deficientem;

3. Succum gaſtricum vitiatum.

Si animum advertamus ad experimenta a SPALLANZANI et STEVENS facta, patebit, vim muſcularem ventriculi diminutam, nullo alio modo con-

coctionem

coctionem afficere posse, nisi quantitatem vel qualitatem succi gastrici mutando :—Hinc constat, ventriculi debilitatem pro causa dyspepsiae *remota* solùm habendam esse.

Vir ingenuosus, Dr. Wilson, hypothesi secundae favet. In tuendam hanc opinionem, dicit, " Hae omnes (causae occasionales) agunt debili- " tate ventriculo inducta; nocentibus, aut ipso " ventriculo, aut corpori universali applicatis; et " magis videtur secundum notitiam nostram oe- " conomiae animalis credere, ventriculi debilita- " tem, quantitatem succi gastrici, potius quam " ejus qualitatem, mutare. At, hac considera- " tione seposita, nonnullae sunt causae dyspepsiae " occasionales, quorum actio particulatim expli- " cabilis est, positione, quam sustinere conor; " exempli gratia, narcotica et indolentia, quae, " ut bene cognitum est, excretiones omnes im- " minuunt*." Praeterea, " Quanquam dyspep- " sia laborans, alimentorum quantitatem solitam " concoquere

* Dissertat. Inaug. de Dyspep. Jun. 1792. P. 10.

" concoquere non poteſt, at minorem, ſine hujus " ſymptomate ullo digerit*."

Sed haec omnia jam dicta ex hypotheſi tertiâ explicare quid vetat? Annon veriſimile eſt certam quantitatem ſucci gaſtrici in ſtatu mutato, vel tenuiore, dyſpepſiam aeque gignere ac minorem quantitatem in ſtatu fortiore? Nec ſancitum eſt cauſas occaſionales hujus morbi excretiones omnes imminuere: Nam in organo de quo hìc agitur, dum multum fuerit debilitatum, mucus ſolito copioſior ſaepe ſecernitur: et nobis veriſimile non videtur, vaſa contigua, in eodem organo, eâdem cauſâ generali, diverſo modo affecta fore.

Procul dubiò eſt actionem vaſorum peculiarem immani vi pollere, ſtatum fluidorum, ſive ſecretorum ſive effuſorum, mutando; e. g. ſtatus ſanguinis ob varias cauſas ex venaeſectione orientes; lactis nutricis irâ commotae, &c. et, ſi analogiae fidere liceat, enumerare poſſemus ſapores varios, odoreſque diverſorum vegetabilium quanquam eodem

* Ibid. P. 11.

dem pabulo nutritos: Non dubitandum eſt cur hi vi vaſorum ſpeciali non pendeant.

" Magnam et miram compoſitionis mutationem
" in organis ſecernentibus humores plurimos ſubi-
" re, certiſſimum eſt. Haec vero, num recte ad
" effectum fermenti referatur, judicent ii qui na-
" turam, et vires, variaſque ſpecies fermentorum
" noverint, et ipſam mutationem intellexerint
" quam iſti humores ſubeunt. Fruſtra enim de
" vocabulo diſputatur. Probe autem memoria
" tenere oportet, mutationem iſtam pendere mul-
" tum ab actione vaſorum organi ſecernentis, et,
" prout haec affecta fuerint, copiam humoris ſe-
" creti multum variare, et qualitates ejus ita cor-
" rumpi nonnunquam, ut ipſe in aliam fere vide-
" atur converti naturam *."

Sed quoniam mutationes quas ſubit ſuccus gaſtricus, aut cauſae quibus immediatè poteſt mutari, adhuc tenebris obtectae ſint, et cùm ventriculi debilitas

* Greg. Conſp. Med. Theoret. § 710.

bilitas ſemper adeſſe videatur, *huic debilitati* in ratione medendi praecipue occurrendum eſt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae duplices ſunt.

1° Quae ventriculum immediatè afficiunt.

2° Quae in totum ſyſtema, vel partes quaſdam ſuos effectus edunt, quo fit ut ventriculus potiſſimum vel ferè ſolum afficiatur.

I. Quae in ventriculum ipſum agunt.

A. Sedantia ſeu narcotica.

a. Opium,

b. Liquores ſpirituoſi,

c. Nicotiana,

d. Thea et coffea,

e. Aceſcentia,

f. Putrida.

B. Stimulantia.

B. Stimulantia.

a. Aromatica,

b. Cibus plenior,

c. Vomitio frequens,

d. Purgatio violens.

C. Tonica quaedam.

a. Amara, &c. nimis diu continuata.

D. Relaxantia.

a. Liquores calidi.

E. Stimulorum confuetorum abfentia.

II. Quae totum fyftema primò afficiunt, vel partes ejufdem fpeciales.

a. Vita fedentaria,

b. Animi pathemata,

c. Mentis ad ftudia vel negotia nimia applicatio,

d. Temperies frigida, precipue humiditate conjuncta,

e. Somni

e. Somni defectus vel excessus,
f. Venus immodicè culta,
g. Dispositio haereditaria.

Pauca de his singulus in ordine differemus.

SEDANTIA seu NARCOTICA.

His intelliguntur remedia illa quae sensum obtundunt, motumque reprimunt.

Hîc, iis qui verbis pugnare amant, egregia occasio disputandi, subtilissimasque doctrinas aedificandi, de viribus et actione remediorum sedantium et stimulantium. Alii contendunt, nullum existere remedium *directè stimulans*, omniaque potius remedia quae corpus stimulare videntur, id efficere per vim suam sedantem, quae corpori noceret, ideoque debilitaret; hocque demum *viribus naturae medicatricibus* contra talem debilitatem reniti, eandemque brevi superare: Dum alii, vix minore ratione, contendunt, multa remedia quae vulgo *Sedantia* habentur, sua prima actione *Stimulantia* esse, et tantum per excessum vis et effectus

fectus ſtimulantis, vires vitales exhaurientis, ſedantia fieri.

Opium.—Hoc vi ſedante pollere, ejuſque uſu frequenti ventriculi tonum, ideoque appetitum valde nocere, omnibus medicis bene notum eſt. Sed et alium effectum habet, qui medici attentionem, optimo jure, ſibi vindicat; ſcilicet, dum debilitatem gignit, mobilitatem etiam vel inducit vel intendit.

Liquores Spirituoſi, non ſecus ac opium, parva quantitate ſumpti, et plurima cum aqua commiſti, non immediatè vires ſedantes oſtendunt, ſed, e contrario, ſtimulantes, cardiaci, et exhilarantes eſſe videntur: Haec verò ſymptomata excitationis, ſi tales latices meraciores aut liberius fuerint epoti, cito excipit ſtatus oppoſitus, qui variis morbis, ſed iis ventriculi praecipue, viam ſternit. Hujus exempla dolenda quotidie obſervemus in miſeris qui ſeſe eorum liquorum inebriantium uſui immodico devoverunt.

Nicotiana.—Hanc vires potentiſſimas narcoticas aeque ac ſtimulantes poſſidere, mihi perſuaſum eſt, non dubitari poſſe, ideoque argumenta ſuper hac re ſupervacanea fore. Quapropter tantum obſervabimus, effectus ejus in ventriculum ex vi narcotica pendere potius quam ſalivae conſumptione vel alia evacuatione.

Thea et *Coffea.*—Hìc difficile eſt dijudicare inter ſententias contrarias auctorum celeberrimorum.

Ab experimentis Dris. SMITH, *De Actione Muſculari*, conſtat, ut theae viridis infuſio extinguat nervorum ſenſum et muſculorum irritabilitatem: Et experimenta Dris. LETTSOM demonſtrant aquam ejus deſtillatam viribus valde narcoticis pollere, et has pendere a materia volatili odora. Hinc mos apud *Chinenſes* hanc plantem magno calore exſiccandi, ejuſque uſum, donec ſaltem per annum unum ſervata fuerit, evitandi.

Quamvis exempla non deſunt theae animum exhilarantis, et ſomnum arcentis: Et quidam ejus infuſione utuntur ut alimentorum concoctionem promoveat; quibuſdam etiam dicitur vires

liquorum

liquorum inebriantium impedire, et, ab aſtringentia ejus, ſolida animalium corroborare. Sed hi effectus inveniri poſſunt inter narcotica alia in parvis quantitatibus ſumpta; et experientia nimis docet ventriculi morbos multo frequentius graſſari ex tempore quo uſus theae invaluit: Praeterea multi, qui ſtomacho laborant, commodum magnum comperiunt pulmentum avenaceum in locum theae infuſionis ſubſtituendo: Et nemini latet, theam, magna quantitate aſſumptam, inſignem manuum tremorem inducere. Igitur, omnibus perpenſis, nobis perſuaſum eſt theam eſſe praeditam vi propria ſedante, ea aquae tepidae poſthabita. Quinetiam veriſimile videtur ejus vim ſedantem eſſe ſecundum rationem ejus odoris, et igitur, theam odoratiſſimam eſſe etiam perniciofiſſimam.

Quod ad *Coffeam* attinet, alii affirmant ventriculum roborare, et ſecretiones promovere, et vim aſtringentem et antiſepticam poſſidere, et fermentationi obſtare: Alii, effectum ſedantem in genus nervoſum exerere, et alvum tardam reddere. Fere omnes tamen conſentiunt uſum ejus continuum,

um, non ſecus ac theae, dyſpepticis multum eſſe laeſurum.

Aceſcentia.—Omnia acida vegetabilia nativa, et aceſcentia, a proclivitate ad fermentationem, et vi ſedante quas habent, ventriculo, dum vires concoctrices langueſcent, plus minus nocent.

Putrida.—Haec raro in ventriculum ingeruntur, ſed, dummodo hoc acciderit, eorum effectus comprehendere poſſumus ſi eos ovi corrupti, vel alius materiae putridae in ventriculum recepti, conſideremus. Veriſimile videtur putridorum generationem in ventriculo ex hujus atonia praevia plerumque oriri.

Stimulantia. *Aromatica.*—Haec, intra certos limites, actionem fibrarum muſcularium ventriculi excitando, remedia fiunt, ſed hos ultra actioni adauctae cito ſuccedit, pro rata parte, debilitas.

Cibus plenior.—Hujus noxae oriuntur a mole alimenti vel aëris extricati ventriculum nimis diſ-

tendente:

tendente: "Ingens enim aut diuturna fibrarum "musculosarum distentio tantum abest ut con-"tractionem earum faciliorem et validiorem red-"dat, ut eandem saepe minuat vel destruat; et "sic musculi fere solvantur, pristinam vim neque "facile neque subito recuperaturi *."

Vomitio frequens—Purgatio violens.—Illa motum peristalticum invertit et totum systema concutit; haec motum intestinorum peristalticum, et consensu ventriculi, praeter naturam auget. Sic utraque vires ventriculi exhaurit.

TONICA. *Amara.*—Haec saepe in dyspepsiae curatione cum fructu adhibentur; sed illorum usus continuus ventriculi totiusque systematis tonum destruere, haud rarò observatus est. Utrùm effectus nocivi a repetitione mera operationis tonicae, vel stimulantis, an a vi aliqua narcotica, oriuntur, parum constat; sed hac, aliqua saltem parte, suspicari potest

* Greg. Consp. Med. Theoret. § 328.

poteſt ob vim venenoſam jamdudum deprehenſam amarorum validiſſimorum quibuſdam.

Relaxantia.—Hujuſmodi ſunt *Liquores calidi.* Hìc non neceſſe ſit inveſtigare corporis humani imperium in calore vel frigore generando, et ſic ſeipſo, certa ratione, a noxa conſervando: Liceat ad experientiam quotidianam relegare, ut aliquis probe perſpiciat effectus infirmantes liquorum calidorum externe vel interne adhibitorum. Bene notum eſt hos liquores vi emolliente, relaxante, et ſedante praeditos eſſe, et motus abnormes reprimere, et dolores ſopire, et ſoporem, et aliquando demum ſyncopen, inducere.

Stimulorum conſuetorum abſentia.—Hujus effectus exemplo illuſtretur, nempè,—Si homo vino vel condimentis inter prandium uti ſoleat, conſuetudo, hoc modo, acquiſita erit, ita ut ventriculus ſine his ſtimulis aſuetis alimenta non concoquere poſſit.

Vita

Vita ſedentaria—Mentis ad ſtudia vel negotia nimia applicatio—Somni defectus vel exceſſus—Animi pathemata vehementia.—Haec omnia, brevitatis cauſâ, in una claſſe hìc collocavimus, et eandam ob cauſam de ſingulis ſpeciatim non poſſumus tractare. Sententia noſtra ſuper hac re haud majori auctoritate ſuffulta ſit, nec oratione accuratiore, quam a verbis auctoris eximii: " Deſidia, ſive animi ſive corporis, utriuſque vires " langueſcunt: Nimia exercitatione, haud minus laeduntur. Statuit enim provida rerum " Parens, ut ſingularum partium, et univerſi corporis animique vires uſu roborentur et acuantur; et huic iterum certos fines poſuit: Ita ut " neque quem valuit natura uſus impune omittatur, neque ultra modum intendatur.—Caeterum et ab iis quas nullo noſtro arbitrio regimus, " tam animi quam corporis functionibus, valetudinis diſcrimen non leve eſſe poteſt. Animi " imprimis affectus, qui modici grate excitant, " vehementes, aut graves et diuturni, hujus pariter ac corporis vires frangunt; hominem interdum ſtatim extinguunt, ſaepius longa valetudine " macerant.

" macerant. Somni etiam, quo ad exhauſtas vi-
" res reficiendas egemus, exceſſus vel defectus, et
" animo et corpori nocent *."

Temperies nimis frigida, praecipue humiditate conjuncta.—Quamvis *frigus* intra certos limites, et ſecundum certas conditiones, ſit remedium roborans, ſtimulans, vel aſtringens, tamen liquet ut, rebus non ita ſe habentibus, ſedans ſit praepotens, et motum, ſenſum, et etiam vitam extinguat. Vires ejus infirmantes multo augentur a humiditate: Tales ſint humiditatis effectus ut praeceptor noſter eruditiſſimus, Dr. HOME, ait ventriculum hominis hoc morbo laborantis *hygrometrum* haud aſpernandum fieri poſſe.

Dicitur, Eurum praecipue aegris nocere, et hoc veriſimile videtur, nam bene notum eſt, effectum ſimilem habere in febre intermittente laborantibus; ſed effectus hujus venti, me judice, non pendeant a humiditate, ut quibuſdam placuit, nam ſcientia Philoſophiae et Hiſtoriae Naturalis demonſtrat

* Greg. Conſp. Medic. Theoret. § 60,—61.

monſtrat Eurum quam Auſtrum aut zephyrum, in hac regione, caeteris paribus, humiditatem minorem continere.

Venus immodice culta.—" Concubitus vero ne-" que nimis concupiſcendus, neque nimis perti-" meſcendus eſt. Rarus, corpus excitat, fre-" quens, ſolvit *."

Diſpoſitio haereditaria.—Sua ſingulis hominibus conſtitutio conſtat, non ſecus ac ſua facies aut forma corporis, non tantum a natura coeli ſub quo vivimus, victuſque et vitae genere quo utimur, oriens, ſed etiam ſtaminibus foetus primordiis dum latet in utero, a ſupremo Opifice impreſſa, et nunquam penitus delenda. Et qualis conſtitutio aut forma parentis, talis ferè ſit prolis. Haec conſtitutio vel diſpoſitio haereditaria videtur oriri, in hoc morbo, praecipue a temperamento ſanguineo, quod dignoſcitur capillis tenui-

* Celſus, Lib. I. Cap. I.

bus et ſaepe rufis aut flavis, compagine molliore, pleniore, cute delicata, eximio vultus colore, venis magnis et caeruleis, et animo praeter ſolitum ſentiente, irritabili, hilari, et mutabili.

RATIO SYMPTOMATUM.

Anorexia, *Nauſea*, *Vomitus*.—Haec fere in gradu tantum diſcrepant, et multas cauſas agnoſcunt, tum quae ventriculum ipſum afficiunt, tum quae remotiſſimas corporis partes, quarum affectiones, ſecundum conſenſus leges, ventriculum multum afficiunt.

Cibi appetitus deficit ſaepe propter exercitationem neglectam, vel a ſuppreſſa per cutem exhalatione, vel a quavis ventriculi debilitate. Nauſea et vomitus ſaepe oriuntur a ventriculi irritatione aut diſtentione, veluti ab onere cibi crudi; a morbis fere cujuſvis corporis partis, vel animi affectibus.

Inflatio.—Res eſt notiſſima, alimenta, quae in ventriculum ſumimus, magnam aëris in ſtatu fixo quantitatem

quantitatem habere: Hic igitur inter concoctionem extricatur, ſed in ventriculo ſano effectus nulli nocivi unquam apparent, utpote cito iterum abſorbetur.

Si vero ventriculus ſtatu in debili ſit, abſorbendi facultatem magna ex parte amittere videtur, et hoc modo inflationis ſigna explicari poſſunt.

Cardialgia.—Haec intelligitur ſenſus injucundus ad cardiam relatus, pleriſque in caſibus ab acido vel materiae acri productus, a cibi in ventriculo remora, vel proclivitate ad fermentationem acetoſam ineundam.

Sive acidum oriatur ſolum a cibi in ventriculo fermentatione, ſive, in caſibus quibuſdam, in ventriculum a maſſa fluidorum circumeuntium deponatur, valde incertum. Sed ab obſervationibus ſequentibus nobis veriſimile videtur acidum aliquando totum ſyſtema pervadere, et inde ejectum. Dr. Home, poſt vomitionem donec aqua epota rejecta fuit pura, invenit acidum in ventriculo ejus citò generatum. Dr. Wilson cuti ejus

jus appoſuit chartulam infuſo vegetabili caeruleo tinctam, quae in colorem rubrum mutata fuit. Et Generoſus ex Amicis meis me certiorem fecit, ſudorem aegrae ſub cura Dris. PERCIVAL apud Dublinium, acidi documentum clarum praebere.

Gaſtrodynia.—Haec plurimis a cauſis proficiſci poteſt, veluti inflammatione, inflatione, acrimonia, et ſpaſmo; ſed pleriſque in caſibus originem ducere a ſpaſmo videtur, utpote atoniam frequenter comitatur, et antiſpaſmodicis fugatur.

Alvus adſtricta inducitur a ventriculi debilitate ad inteſtina tranſeunte, motumque eorum periſtalticum imminuente. Aliquando, forſan, ex minuto *bilis* ſtimulo, ab acido in tubo alimentario generato infirmatae.

Pulmonum affectiones agnoſcunt pro cauſa ventriculi diſtentionem, amplitudinem thoracis diminuentem; vel conſenſum ventriculum inter et pulmones.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Hicce morbus ſi diu perſtiterit raro medetur; ſed fere ſemper leniri poteſt, et plus moleſtiae quam diſcriminis vitae fert. Cum juvenem aggrediatur, ſi ſymptomata nondum magnum ad gradum acceſſerint, et cauſae remotae non diu fuerint applicatae, eventum fore fauſtum ſperare poſſumus. Sin vero hominibus aetate provectis, poſt cauſas remotas diu applicatas, occurrat, et ſi ſymptomata ſint vehementiora, et poſt remediorum uſum saepe recrudeſcentia, tunc prognoſis minus fauſta, et hydrops vel cachexia generalis metuenda eſt. A quibuſdam febris hectica dicitur hujus morbi ſequela eſſe, ſed de hac multum dubito.

METHODUS MEDENDI.

Consilia medendi tria ſunt.

I. Cauſas

I. Causas remotas quam maxime evitare,
II. Symptomata graviora removere vel levare,
III. Tonum ventriculo reddere.

I. Quod ad primum consilium attinet, de causis remotis adeo fuse jamjam diximus, ut earum, hoc in loco, mentionem iterum facere minime necessarium sit. Omnes, quotquot sunt, quam assidue et caute fugiendas esse, dicere sufficiat.

II. Symptomata removere vel levare.

Anorexia et *Nausea.*—Prior saepe oritur ab imminuta excretione cuticulari, et commodissime amoveri potest exercitatione: Sed cum utraque proficiscitur a colluviei in ventriculo accumulatione, si inedia modica sit inefficax, praestat ut ventriculum deplere conemur catharticis idoneis; cujusmodi sunt *pilul. rhei comp. vin. aloet.* &c. Si haec parum prosint, tum emeticis decurrendum est; ut *infus. chamaem. pulv. ipecac.* &c. quae presentius levamen praebent plerisque symptomatibus a prava concoctione exorientibus. Emetica ventriculum

ventriculum ab onere insigni liberant, sanguinis cursum per viscera abdominalia expediunt, secretiones et excretiones varias, praecipue cuticulares promovent, et totum genus nervosum excitant: Sed effectus eorum nocivos in memoria tenere semper oportet; quamvis enim verisimile sit materiei peccantis in ventriculo remoram effectus pejores edere quam qui emetici operationem sequerentur; attamen emeticorum repetitio frequens vim tonicam ventriculi delet. "I am certain, from "much experience, that frequent vomiting hurts "the tone of the stomach, and often makes the "symptoms of indigestion recur more frequently "and sooner than they otherwise would have "done*."

Vomitus.—Hic quibusdam in casibus salubris naturae nisus est materiam noxiam ejicere, et tunc promovendus: Cum vero aliter res se habet, quamprimum compescendus est, quippe qui vires

res

* Cullen's Mat. Med.—Differens de emeticis.

res conficit. In hunc propofitum hauftus falinos effervéfcentes propinemus, vel acid. vitr. dilut. acetum deftillat. aq. menth. pip. aether. vitr. opiata aromaticis conjuncta; aut enemata anodyna: Vel, externè, embrocationes feu cataplafmata ex fpir. vini, aethere, opio, vel aromaticis confecta; cucurbit. fine ferro; rubefacientia aut epifpaft. regioni epigaftricae applicanda.

Cardialgia.—Ventriculus ab acore quodammodo defendi poffit extracto glycyrrhizae, gummi arab. et variis aliis demulcentibus; fed quoniam haec ventriculum onerare folent, *Antacidis* (ut vocantur) potius confugiendum eft: Qualia funt alkali fixum et volatile, magnefia, pot. cretac. trochfci cretae, &c. Horum tamen felectio idonea fieret oportet, prout res fe habeant; fic, alvo adftricta, alkali, magnefia, vel haec cum rhabarbaro conjuncta, quae non folum alvum ciet, fed infuper inteftina roborat. Interdum magnefia communis flatus inteftorum auget, tunc magnef. ufta magis conveniet. At ubi alvi fluxus adfit, potio cretaceae, chelae cancror. vel aqua calcis (quae ad mucum ventriculi

ventriculi ſolvendum, experimentis Dris. WHYTT efficaciſſima inventa fuit) ſunt eligendae.

Ex ammoniae (olim. alk. vol.) uſu, ſagaciter adhibitae, multum ſperare liceat, praecipue ubi alvus adſtricta ſit, ſi ad qualitates ejus antacidas, laxativas, ſudorificas, ſtimulantes et antiſpaſmodicas reſpiciamus; ſin autem nimia quantitate adhibeatur effectus longe diverſos in corpore humano ederet; ſcilicet, fortaſſe, materiam nutrientem ea acidi portione quae fluida animalia ritè ingrediretur, ſpoliando.

Gaſtrodynia remediis demulcentibus aliquando ſublevari poteſt. Antiſpaſmodica vero, ut aether. vitr. ammonia, ſpir. ammon. foetid. moſchus, et opium, multo plus valent.

Conſtipatio plurimum moleſtiae ſaepe adfert, et morbum graviorem reddere proclivis eſt; ſi igitur, cibo ad normam ſumpto, nihilominus non depellenda ſit, laxantibus confugiendum eſt, iis nempe quae ventriculum quam minime infirment; ſcilicet, electuario ſennae, ſulph. aloe (haec cum aſa

foetida nonnunquam commode conjungatur), pil. rhei comp. vino aloet. &c. Rhabarbarum in ore frequenter manſum multum laudatur, multiſque exemplis, tum ad alvum movendam tum ad appetitum acuendum reſpondit. Intervalla fixa alvum dejiciendi, itaque naturam ſolicitandi, obſervare, magnopere prodeſſe poſſit; ſic enim nacta ſit conſuetudo huic affectioni multum occurſura.

Tormina ventris et *borborygmi* flatu orientia, antiſpaſmodicis aut ſtimulantibus allevientur: Qualia ſunt oleum vel aqua menth. pip. aniſi, carui, &c.

III. *Tonum ventriculo reddere.*

Antequam, ad inveſtigationem diverſarum rerum huic indicationi inſervientium nos accingamus, pauca de *Cibo*, *potuque* aegrotorum, praefari forſitan haud alienum erit; quibus ni animum diligenter adverteremus remedia noſtra vel prorſus inepta, vel multum impedita evadent.

De Cibo.—Ex *vegetabilibus*, ea quae facillimè

concoquuntur

concoquuntur et tardè acefcunt feligenda funt; ut panis bene fermentatus et non nimis recens, oryza, falep, fago, *tapioca*, et batatas. Haec, fi ventriculus facile toleret, pro maxima aegri diaetae portione ufurpari debent: Sed iis hoc morbo laborantibus victus vegetabilis rarò convenit. Igitur, re ita fe habente, ad cibum animalem confugiendum eft: Et hîc notatu dignum fit, communi opinione nonobftante, carnes juniorum animalium plerumque concoctu nonnihil difficiliores effe quam provectorum ejufdem fpeciei; quod in carne vitulorum et agnorum praefertim obfervatur.

Diverfas inter fpecies, tam quadrupedum quam volucrum, haud magna exiftat differentia: Pifcibus magis difcrimen intercedit; horum oftreae crudae et cum pipere comefae, cancri, aftaci, gadus merlangus (*whiting*), gadus aelfingus (*haddock*), aliique carne alba et olei pauxillo gaudentes, fimpliciter et fine fuccis lautis parati, facillime digerentur; contra, anguillae, halices, fcombri, falmones, aliique carnis rubrae vel olei pleni, ventriculum gravent. *Piftorium opus*, butyrum, adeps, et omnia oleofa femper evitanda funt.

Quod

Quod artem coquinariam attinet, " Carnes plurimum aſſae vel elixae, quam modice tantum aut " leviter coctae, duriores ſunt concoctu, niſi hae " faſtidium moveant, quod concoctionem omnis " cibi impedit *." Et carnes aſſae, vel lento igne coctae (anglicè *ſtewed*), elixis plerumque anteferendae: Caro bubula ſuper craticula toſta (vernaculo ſermone *beaf ſteak* dicta) optima inter fercula enumeretur. Porrò, victus animalis ſolubilior evadit ſi non nimis recens, ſed ad putredinem paululum vergere prius permiſſus quam uſurpetur. Sed quod ad hoc, et quaſdam alias obſervationes ad cibum ſpectantes, attinet, multae exceptiones oriri poſſint, a conſuetudine aut idioſyncraſia aegri peculiari, pendentes, et non niſi ſua propria experientia diſcendae; e. g. bubula ſalita, aliaque in diaeta maritima cibaria nautae facile concoctu erunt, dum jus ex gallinaceis pullis confectum, vel thea acorem in ventriculo gignerent: Longe aliter faeminae tenerae res eveniret.

Piſces

* Greg. Conſp. Med. Theoret. § 1016.

Piſces teſtacei nonnullis minime concoqui poſſunt, aliis leviſſimum cibum praebent, &c.

Caſei qualitas a ſtatu quo utatur multum pendet; cum recens adhuc, praeſertim ſi toſtus ſit, difficillime concoctu reperitur; vetus vero et acris factus, parva quantitate aſſumptus concoctioni favere poſſit.

Ova recentia et ſorbilia multis levem et nutrientem cibum praeſtant.

Lac, quamvis ſano ventriculo facillime digeritur, plerumque dyſpepticis malè convenit.

A varietate alimentorum, aegros hoc morbo laborantes, cavere, et ab epulis decedere potius cum aliqua cibi appetentia quam ſatiatos, oportet. Divites eſurire ſinendo, et pauperibus cibum praebendo huic morbo occurrere liceat—ait Medicus celeberrimus.

" Il eſt egalement important, pour les per-
" ſonnes dont je parle, de regler la quantité, que
" le choix des aliments ; elles doivent étre ſurtout
" fort attentive à ne jamais manger, qu'elles ne
" ſent que les derniers aliments qu'elles ont pris,
" ſont entiérment digérés. Un ſouper trop con-

" ſiderable

" ſiderable produit deux maux : Premierment, il " ne ſe digere pas : Secondment, il trouble le " ſommeil ; et pendant la nuit même, l'agitation, " la fievre, le mal de tête ; et le lendemain le " malaiſe, la foibleſſe, par là même l'augmenta-" tion du mal ; au lieu qu'un ſouper proportionné " à la foibleſſe de l'eſtomac ſe digere bien, et laiſſe " jouir d'un ſommeil tranquille : Et comme de " bonnes digeſtions, et un bon ſommeil, ſont les " deux grands moyens de raparation que la na-" ture a donnés aux hommes, on ſent combien il " eſt important de les conſerver le plus qu'il eſt " poſſible *."

Pulmentum avenaceum ; parata illa ex Cacao quae *Chocolate* et *Cocoa* appellantur ; ova ſorbilia ; et farta ex pane levi, vel oryza confecta, loco Theae aut Coffeae pro jentaculo bene ſufficiuntur.

Condimenta et *Aromatica*, ad actionem ventriculi idoneam ciendam aliquando utilia ſint, ſed exceſſus

* Tiſſot, Avis au Peuple, § 596.

ceſſus in uſu horum nunquam non timendus eſt; nam conſuetudo inde nanciſcatur, quam, gradatim (quamvis difficile), excutere neceſſe erit.

Juvat etiam monuiſſe, cibum bene manducare, multum conferre. "Not to mention the ſaliva "which moiſtens the food and prediſpoſes it to "be diſſolved, it cannot be doubted, that, when "it is reduced to pieces by the action of the "teeth, the gaſtrice fluid penetrates more readily, "and, by attacking it at more points, diſſolves "it more ſpeedily than when it is whole *."

Si aegri ad vegetabilia jam enumerata ſe cohibere nolint, utile ſit iis notare, cynaram, aſparagum, *celeri*, ſpinaciam, rapum, daucum, et phaſeolum, braſſicae, piſis et fabis (niſi teneris), cucumeribus, melonibus, caſtaneis, et omnibus nucibus oleoſis anteponenda eſſe.

Ex fructibus—Fraga, groſſulariae, uvae (deacinatae), uvaeque paſſae, et pyri hortenſes, minus quam mala hortenſia, ribeſiae, et praeſertim *Drupaceae*,

* Spallanzani's Diſſertat. Vol. I. P. 276.

Drupaceae, veluti cerafi et pruni, nocent. Poft prandium tutiffime affumentur. Sed praeftat his omnibus abftinere.

De Potu.—Aqua pura, vel quae fuper panem toftum infufa fuerit, optimus potus, et fola, bonum remedium interdum reperta eft. Sed, heu! nimis frequenter accidit homines potibus meracioribus fe affuefacere: Cum res ita fit, cerevifia fortis Londinenfis, *porter* dicta, vel aqua parva fpiritûs deftillati quantitate commifta, plerumque accommodatiffimae fint. Summa vero prudentiâ opus erit in fpiritibus deftillatis aegrotis propinandis, nam, vi confuetudinis, paulatim fuaviores fiunt et meraciores bibuntur.

Si vina permiffa fint, ufitatiffimorum inter optima invenientur *Maderenfe* et rubrum Lufitanicum *Port* dictum.

Nunc fupereft ut de *Remediis* pauca loqueremus.

Acida vegetabilium *nativa*, ob proclivitatem eorum ad fermentandum, et vim fendantem quam poffident,

poſſident, mala ſunt. *Acetum* verò, acidum vegetabile fermentatum, tutò et ſaepe felici cum ſucceſſu adhibetur. *Acida* tamen *mineralia* anteferenda ſunt, praeſertim acidum vitriolicum ob vim ſuam antizimicam, et adſtringentem, et ſtimulantem qua pollere obſervatur.

Varia e *Ferro* praeparata ut medicamenta tonica diu in uſu fuere. Experimentis enim MENGHINI compertum eſt ſanguinem eorum qui chalybeatis uſi fuerunt colorem rubriorem habere, et pariter hujus metalli plus continere. Quin et LORRY narrat ſe deprehendiſſe urinam aegroti, hoc remedio utentis, colore ſubnigro, pauxillo gallarum adjecto, tinctam.

Limatura vel rubigo ferri pro remediis roborantibus adhiberi poſſint, quoniam virtutes earum medicae acido primarum viarum extrahentur: Juvat etiam noviſſe, eas ventriculo minus ingratas eſſe ſi aromaticis conjungantur. Quinetiam a doſibus parvis incipiendum eſt, eo quod proclives ſint ad nauſeam vel vomitum excitandum. Ferrum vitriolatum validum medicamentum eſt, ſed ſaepe ventriculum turbat, ideoque parum idone-

um ; tinct. ferri verò ab hoc incommodo videtur esse libera, et communi usui magis accommodata.

Aquae minerales ferro imbutae effectus roborantes edere videntur, praesertim cum ferrum in his acido carbonico sit solutum. Multos ex effectibus quos fontes chalybeati absolvere dicti sunt, ab exercitatione corporis, animi delectatione, et jove puriori potius proficisci, putamus ; quamvis minime negandum sit aliquid tribuendum esse partim aquae ipsae, partim peculiari alicui impregnationi.

Non desunt medici clari inter quos viget consuetudo, lac vaccinum fervens cum aqua *Selterana* mistum praescribendi iis qui ventriculo laborant : Num vero praxis illa felici eventu comitetur, doctorum et in medicina peritorum observatione et experientia confirmanda restat. Lac iis dyspepsiae obnoxiis plerumque minime convenire, compertum est. Quamvis enim aqua calcis ejus coagulationi, ideoque quibusdam ejus incommodis obviam ire potest, tamen parum constat, aquam *Selteranam* eundem effectum praestare : Pars quoque acidi carbonici, a quo efficacia ejus praecipue

pendere

pendere videtur, calore ſic expellitur. Hic inſuper liquor tepidus non poteſt quin debilem redderet ventriculum, ob vim ſuam relaxantem; et quamvis minus quam aqua communis tepida laederet, minime tamen innoxium putamus. Haud negandum eſt ut aliquando ſymptomata mitiora reddat, aqua enim calida eundem effectum edere poteſt, non tamen inde concludendum eſt idoneum et validum eſſe remedium. Haec ſunt quae proponenda habemus contra aquae hujus mineralis uſum ſub hac forma: Ad favendam vero hanc praxin dici poteſt, quòd ventriculus ſit adeo debilitatus, et irritabilis, ut illaeſus tolerare non poteſt gradum frigoris tam magnum qam hauſtus frigidus ei impertiret. Natura enim videtur lege ſanxiſſe, ut impulſus vel ſtimulus quivis corpori applicatus, eſſet, pleriſque ſaltem in caſibus, pro ratione principii vitalis, aut vigoris corpori inhaerentis: Forſan hoc fundamento nititur conſuetudo aquam frigidam per tubos bibendi, quo modo adeo gradatim introducatur, ut ventriculo ſatis reniti occaſio data ſit.

STIMULANTIA.—

Stimulantia.—*Salis marini* effectus, fortasse, a vi sua stimulante proveniunt, sunt enim multi a ventriculo laborantes qui carnes salitas et siccas melius quam recentes concoquunt *.

Aromatica et *Acria* plurima diu in usu fuerunt; levamen vero ab iis raro firmum observatur, et ob rationes jam expositas perraro praescribenda sunt.

Amara.—Horum remediorum haud exigua existit in regno vegetabili copia. Quae sequuntur anteferenda sunt; scilicet, radices gentianae, cursutae, colombae, serpentariae, lignum quassiae, flores chamaemeli, cort. aurantiorum, angusturae, Peruvianus, &c. Haec omnia effectus roborantes edunt. Quidam corticem angusturae summis laudibus dignum judicant, et si a qualitatibus ejus sensibilibus judicare liceat, eum esse remedium perutile concludamus; sed experientia satis ampla adhuc deest ad virtutem ejus confirmandam.

Astringentia etiam pro remediis roborantibus

non

* Praelectionibus Pract. cel. Dris. Duncan, 1789,—90.

non immerito enumerantur, praesertim si cum amaris conjuncta sint.

Inter haec omnia vero *Cortex Peruvianus* primum tenet locum, et in hoc morbo cum summo successu adhibetur. Ab experimentis Dris. SKEETE demonstratum est ut magnesia cum cortice juncta eum longe efficaciorem reddere inserviat, praeterea, magnesia acorem, si ullus in ventriculo sit, corrigere, alvumque mollire utilis erit. Cortex optimos edit effectus sub forma pulveris subtilissimi administratus: Sed quoniam aliquando ventriculo, sub hac forma, minus bene convenit, tunc, tinctura ejusdem, vel infusum, vel extractum usurpanda sunt. Tincturae vero omnes amarae circumspectione adhibendae sunt, ne spirituum destillatorum desiderium excitarent.

Quamvis autem cortex Peruvianus validum remedium reperitur, tamen alia hujus ordinis non ideo sunt contemnenda: Nonnunquam enim accidit ut alia amara efficaciora inveniantur.

Nullum vero ex his ultra spatium decem aut quatuordecem dierum sine intermissione continuari debet, ob rationes jam antea memoratas. Tem-

pore

pore autem intermiſſionis, aeger chalybeatis vel aliis tonicis remediis, cum multo commodo utetur. Qualitates *amarorum* noxiae ſic evitari potuiſſent, et poſtea felicius reſumentur.

Exercitium.—Ad illam ecce! pervenimus curandi rationem caeteris valde utiliorem, et ſine qua omnia conamina, remediaque noſtra inutilia forent.

Ad actionem a ſummo Opifice noſtra machina deſtinata et fabricata eſt: Sanitas ergo ab actione inſeparabilis. "Quod ad idoneam corporis exercita-" tionem attinet, pro remedio roborante," inquit Auctor inclytus, "omni laude major eſt:" Vigorem enim impertit muſculis voluntarii motus, nec non per ſympathiam, iis qui ſunt motus involuntarii; ſanguinis circuitum per totum corpus, et quicquid ab eo pendet, promovet; cibi appetitum acuit, ſanam concoctionem efficit, et animo aeque ac corpori vires conciliat.

Exercitatio ſemper antecedere cibum, vel ſummo mane vel paulo ante prandium, et ad levem ſudorem aut laſſitudinem, non ad fatigationem protrahi,

protrahi, et ſub pleno jove, et in aëre puro et ſicco fieri, debet.

Quando vires aegri ſinunt, ambulatio et equitatio omnium exercitationum ſunt optimae: Ægro vero non ad has exercitationis ſpecies valenti mitiores praeſcribendae ſunt, igitur ad geſtationem in curru aperto, vel demum ad frictiones confugiendum eſt.

Peregrinatio maritima tanquam leviſſima geſtationis ſpecies, et infirmiſſimis aegris optime accommodata, a multis medicis plurimum, et forſan merito laudata eſt; verum tamen ſuis non vacat incommodis, ideoque raro convenit.

Induſium laneum, veſtituſque pedibus et cruribus focillantes, noſtram attentionem, optimo jure, ſibi vindicant.

Balneum frigidum, cautione adhibita, vi roborante haud exigua pollet; contrà, ab intempeſtivo ejus uſu, ingentem debilitatem inducere ſolet.

Æger in balneum ventriculo pleno nunquam immergere deberet: Saepe cum balneum frigidum ſolitae temperiei tolerare nequit, ſi aliquantum

tum calidae cum frigida aqua balnei commiſtum fuerit, id tum bene tolerabit, et conſuetudine paucorum dierum, ſubducta paulatim calidae copia, eo uſque perveniet, ut balneo quam frigidiſſimo non modo ſine incommodo aut periculo, ſed cum inſigni beneficio utatur.

Aliquando aquâ ex alto cadente, ſub forma perfuſionis, uti prodeſt.

Veriſimile eſt beneficium a balneo acceptum attribuendum eſſe ſtimulo quem ſubitus deſcenſus in aquam gelidam generi nervoſo, univerſoque corpori impertit; itaque aeger non debet multum temporis in balneo remanere (duae enim vel tres immerſiones ſufficiant), ne, pro robore, infirmitatem ſibi compararet.

Si brevi, balnei uſum, rubor, calor, humiditas, ſaltem mollities cutis, vigor muſculorum, bonus cibi appetitus, bonaque concoctio, et animi hilaritas, excipiant, non eſt cur dubitemus eum ſalutarem eſſe futurum: Contra—nimium eſſe frigidum, vel nimis diu adhibitum, vel aliquo modo demum balneum minime convenire, teſtantur magnus et diuturnus

diuturnus membrorum tremor, vultûs pallor, ſiccitas pariter et frigus cutis, artuum debilitas, ſpiritus demiſſi, nauſea aut anorexia.

Cuivis attentè reputanti nexum intimum qui inter animum et corpus intercedit, neceſſarium non erit explicare quanti ſint, in morbis medendis, momenti, animi affectus vel pathemata: Et maxime quidem dolendum eſt eorum regimen et adminiſtrationem tam parum in noſtris manibus eſſe.

Quamvis enim difficile ſit conceptu quid ſit ens illud immateriale et intelligens, cui Philoſophi et Medici nomen *animus* impoſuerunt, aut quo pacto agat, vel afficiatur, haud tamen negandum ſit, ipſum et corpus ſe invicem plurimum afficere: et quidem certum eſt ut functiones animales ſint mutandae a rebus quae alio modo agere non poſſent niſi mediante animo, non ſecus ac a rebus quae non agant [illegible]i quatenus corpori admoveantur.

Affectus animi omnes qui deprimentes vocantur, ſedulo ſunt evitandi, et aegrum in ſocietate ſe indulgere oportet. Quinetiam omne exercitii genus quaedam delectatio debet comitari. "Non

" verbis opus eſt, ut quiſque qui naturam huma-
" nam vel minime intellexerit, probe perſpiciat,
" exercitationem quamlibet, puta ambulationem
" quotidianam, aut longum iter, longe aliter ho-
" mini eſſe profuturam, quem venatus amor, aut
" herbarum ſtudium, ducit per campos, et mon-
" tes, et ſylvas, et littora, indefeſſum a mane ad
" veſperem uſque, et quem pulchra naturae fa-
" cies, et mirabilis ordo, delectat atque exhilarat,
" ac triſti et miſero aegrotanti, cui nihil aliud co-
" ram oculis aut in animo verſatur, quam morbus
" quo laborat, et periculum et mors quae credit
" ſibi inſtare *."

Praeter jam antea dicta de ſomni defectu vel exceſſu, hic dignum ſit notatu, ut non tantum ſomni *diuturnitati*, ſed etiam *tempori* quo ſumendus eſt, reſpiciamus; exempli gratia, ſomnus per ſeptem horarum ſpatium, ſcilicet ab hora prima ad octavam ante meridiem, eundem effectum non praeſtabit, ac ſomnus per idem temporis ſpatium nocte

* Greg. Conſp. Med Theor. § 1139.

nocte ſumptus, ſcilicet ab hora decima poſt meridiem ad quintam mane ſequente. Hoc fortaſſe, aliqua ſaltem ex parte, explanari poteſt a ſtatu quodam febrili, tempore pomeridiano, ſolito (praeſertim in iis quibus eſt ingens mobilitas), ex applicatione variarum rerum ſtimulantium quibus homines vigilantes ſunt objecti, qui ſtatus ſuperveniente ſomno interpellatur. Quocunque vero modo de cauſa ejus ratiocinemur, factum non dubitari poteſt, itaque attentionem noſtram mereatur.

Hoc Opuſculo ſic ad finem perducto, oblatam occaſionem lubentiſſimè arripio, ſinceras exſolvendi gratias Profeſſoribus hujus almae Academiae clar. Gregory et Duncan; ob magnam amicitiam quam ab illis expertus ſum.

Quin et nefas mihi fore exiſtimo, Hugonem Ferguson, A. B. T. C. D. cariſſimum meum amicum

cum, ſociumque in ſtudiis, ſilentio praeterire; cujus morum ſuavitatis, et indolis bonae meminiſſe me ſemper delectabit.

FINIS.